



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

Bosschaerts, Willibrord

Mechliniae, 1650

147. De Viuida senectute S. Willibrordi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10958

alium cui S. praefecit Ludgerum, virum incomparabili deuotione in Deum & Religionem Christianam. Hic est Monasteriensis Episcopatus : nam Ciuitas exstructo ibi Monasterio, Monasterij nomen accepit. Krantzio consentiunt Munsterus, Ortelius in Cosmographia. Non innotuit ergo S. Marcellino ibi nomen Monasterium eius obituaus annus longe antecesserat.

DISSERTIO CXLVII.

De Viuida senectute S. Willibrordi.



Octo annorum decurias iam decurre-
rat S. Willibrordus per multos labo-
res, pericula, sollicitudines pro Gen-
tium conuersione, pro Ecclesiae Vl-
traiectinae Dioecesisque promotione,
& necdum eum subtrauerat cura.
Octogenarius praedicationi, muneri-
bus Episcopalibus perseueranter in-
haret, Deo suauissimos fructus in
horto Frisico operari non desistit. Reclamabat quidem na-
tura magno annorum curriculo onusta, conditione sua ef-
fata, verum feruens Zelus lucrandarum animarum ultra
naturae fines transuehebat. Cogitabat illud Dauidis Re-
gis : Exhibet homo ad opus suum & ad operationem suam
vsque ad vesperam id est occasum vitae. Cantabat ex ani-
mo Deo fortitudini suae id eiusdem Regis : Iustus vt pal-
ma florebit : quemadmodum palma, quae & viuacissima
est

est & semper viret etiam ipsa hyeme & suauissimos proferi fructus, ita Iusti diuine gratiæ succo numquam destituti, tum in prosperis, tum in aduersis semper virebunt longeuam degentes vitam ac fructus dulcissimos bonorum operum semper proferentes, ne tum quidem florere cessantes cum hinc decesserint, imo verius cum hinc in terram fecundiorum transplantati fuerint. Et sicut Cedrus Libani multiplicabitur: & quomodo Cedri Libani robore, odore & incorruptibilitate insignes in maximam succrescunt altitudinem multumque augentur & ramis suis late expansis diffunduntur, ita Iusti insigni à Deo robore præditi, virtutum odore omnibus grati, semper in bono proficient seipsis semper altiores ac multam prolem Deo producentes, donec tandem cælos ipsos, ad quos palmarum ac Cedrorum more sæper nituntur, attingant. Plantati in domo Domini in atrijs domus Dei nostri flore bunt. Non enim iusti quemadmodum impij eradicabuntur de terra, sed firmiter plantati in domo Dei flore bunt iugiter in atrijs eius. In cõgregatione enim Sanctorum colëtium Deum vsque in longam senectam vt in plurimum viuentes, vige bunt in ea fructusque depromunt & gratissimos flores bonorum operum semper validi ad laudandum Deum in templo eius, in medio populi sui & hinc decedentes in cælesti Dei domo, è qua numquam dimouebuntur, perpetuo virore vige bunt.

Adhuc multiplicabuntur in senecta vberi & bene patientes erunt vt annuntient etiam ipsa senectute, quæ non erit in eis effæta & arida, sed humore diuini Spiritus pinguis & fecunda, viribus proficient & in virtutibus crescent, eruntque etiam tum bene habiti atque dispositi, vt experti in se Dei Iustitiam & bonitatem annuntient quod Iustus est Dominus Deus noster, quod ab omni iniustitia

iustitia & prauitate est alienissimus. Quam bene hæc in S. Willibrordum conueniunt. Quam vere in illo impletæ sunt promissiones electo & dilecto factæ, Longitudine dierum replebo eum & ostendam illi salutare meum. Vitam petijt à te & tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum & in sæculum sæculi. Ad similem senectutem peruenit S. Bonifacius S. Willibrordi Discipulus & post eum Ultraiectinæ Cathedræ moderator; licet enim sint qui scribant intra octuagesimum annum ætatis Martyrium subiisse, vt Wicelius in Hagiologia, qui solum tribuit vitæ annos 60. attamen ex omnibus eius actis simul collectis liquet eum 80. superasse. Imo Nicolaus Serarius vitæ Bonifacianæ accuratus examinatus computat Martyrio affectum ætatis anno 85. vel 86 Præstat hoc Iustis manifeste gratia Diuina. Adiuuit Willibrordum, quæ etiam Dei donum est, dispositio naturalis, id est bona corporis dispositio, complexionis firmitas & temperamentum corporis laudabile, quale ei tribuunt Leijdenfis & Nannius. Vide Doufam lib. 8. annalium Hollandiæ.

D I S S E R T.